



703 Ad Laodicenses nullam scripsit D. Paulus epistolam, & n. 704.
705 Quod scripserit tertiam ad Corinthios affirmant graves Patres, & alii negant, & num. 706.
707 Tertiam ad Thessalonicenses, Origenes appellat eam adulteriam.

Ad Senecam.

699. Perantiqua est dubitatio an D. Paulus, & Seneca habuissent inter se amicitiam, ac inter se epistolas mitterent; videntur affirmare S. Hieron. S. August. S. Linus Papa Petri successor D. Hieron. in libro de vitis illustribus, ait; Lucius Seneca continentissima vita fuit, de quo epistola leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Seneca ad Paulum. D. Augustinus epistol. 14. ad Macedonium circa medium ait; Seneca, qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quadam ad Paulum Apostolum epistola leguntur. D. Linus Papa in Bibliotheca Patrum lib. de Passione Pauli, in cuius initio loquens de amicitia Pauli cum Seneca ait: Institor Casaris nempe Seneca adeo fuit illi, scilicet Paulo amicitia copulatus, ut se à colloquio illius temperare vix posset, quominus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis, & acceptis epistolis, ipsius dulcedine, & amabili colloquio, atque consilio frueretur. Idem affirmat Honorius Augustodunensis lib. de luminaribus Ecclesie. Flavius Dexter vir magnæ auctoritatis, qui floruit tempore D. Hieronymi, cum quo habuit magnam amicitiam Anno Christi 64. sic ait: Lucius Anneus Seneca Cordubens. Hispanus, missus ultro citroque ad S. Paulum literis, de Christiana re bene sentit, factusque Christianus oculis, ejus fuisse discipulus creditur; dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem. Quod multis defendit ejus commentator Franciscus Biviar. ibi.
700. Sixtus Senensis lib. 2. in sua Bibliotheca octo epistolæ Senecæ ad Paulum extant, & sex epistolæ ad Senecam; sed hæ epistolæ sunt falsæ, & fabulosæ, ac fictitiæ, & stylus earum est omnino alienus à gravitate, ac sanctitate Apostolica, fieri enim non potest, qui in summa humilitate semper versabatur, & omnia mundi tanquam stercorea reputabat, ut Christi servus, in quadrata epistola dicat ad Senecam, se ex illius amicitia beatum reputari, me arbitror tanti viri iudicio felicem. In alia epistola monet Paulus Senecam, ne suas epistolas Neroni ostendat. Generosus animus Pauli omnes sæculi potestates non timebat, maxime in causa propugnandi Christi religionem; ergo dum eum tam timidum proponit alienum omnino est à veritate, ergo literas, quas refert Sixtus omnino supposititias esse, communis est sententia, ut tenent Justus Lipsius de vita, & scriptis Senecæ cap. 10. in fine. Benedict. Just. tom. 1. in Paulum disp. 2. cap. 2. num. 2. Baronius tom. 1. art. 80. Bellarm. lib. de script. Eccles. in Lino.
701. Dicendum est, quod inter D. Paulum, & Senecam fuerint aliquæ epistolæ, sed ut ait Lipsius citatus, non sunt hæ, quæ circumferuntur, sed aliæ, quæ non sunt, & omnino perierunt, quamquam auctoritas sanctorum Patrum, non videatur multum adurgere

Nam D. Hieronymus, & Augustinus dicunt leguntur, & illud non referunt ex propria sententia, & quamvis dicatur quod sanctus Linus scripserit acta sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quæ extant in Bibliotheca, ut ibi in eorum præfatione notatur ex Bellarm. narrat ibi Auctor multa de actibus sanctorum Apostolorum, quæ vel falsa, vel dubia, & tale opusculum sancti Lini, non habet à veteribus testimonium, ideo suppositum videtur.
Diximus tamen, quod inter D. Paulum, ac Senecam fuerint aliquæ epistolæ, quæ non extant, ut tenent Lipsius citatus, Joannes de Lahay, Biblia Maxima tom. 13. prolog. novi Testam. sect. 7. cap. 1. Quia sancti Patres, August. & D. Hieron. quamvis dicant, leguntur, non tamen repugnant, sed quodammodo videntur approbare, & quod magis me movet eo expressum testimonium Lucii Dextrii, vir consularis antiquissimus, in multa æstimatione habitus à D. Hieronymo, utpote ejus contemporaneus & amicissimus, & for e aliqui viri docti contrarium tenebant, quia Lucium Dextrum non legerunt, qui paucis ab hinc annis in lucem est datus.

Ad Laodicenses.

Scribens Apostolus Paulus ad Colossenses cap. 4. num. 14. loquens de epistolis, ait: Eam qui Laodicensem est, vos legite. Unde aliqui, ut Philasterius lib. de Hæresibus c. 90. dixerunt D. Paulum scripsisse epistolam ad Laodicenses, & talem epistolam nomine Pauli scriptam ad Laodicenses refert Sixtus Senensis lib. 2. in Paulum, sed talis epistola ex suis terminis in stylo, gravitate, ac spiritu omnino aliena est à D. Paulo, & expressè hoc notat D. Hieron. in Catalog. script. Ecclesiastic. in Paulo ait, legunt quidam epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur. Marcion, & alii Hæretici putabant epistolam ad Ephesios esse scriptam ad Laodicenses, de quo dixi supra quæst. 12. num. 784. Theophylactus tamen putat primam epistolam ad Timoth. ex eo quod scripta est Laodicæ esse scriptam ad Laodicenses, & ex ipso contextu epistolæ manifestè constat esse ad Timotheum.
Totam hanc difficultatem explicat, & dirimit Textus Græcus, cum ergo Apostolus ait eam, que Laodicensem est vos legatis, Græcus sic habet eam, que est ex Laodicea, nempe me scriptam, vos legatis, ac proinde præcipit ut epistolam, quam ad eum miserunt, legant, sicut vult Theodoretus, quam Laodicenses miserunt ad ipsos Colossenses, in qua quædam habebantur, quæ maxime ad rem Colossensium pertinebant, hanc Apostolus mandavit legi. Ita D. Chrysostom. Syrus, Theodor. qui ait: Non dixit Apostolus, eam, que est ad Laodicenses: sed eam; que ex Laodicea est, legite: illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserunt. Verisimile est autem eos, vel ea accusasse, que fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse, & ideo dixit hanc quoque epistolam esse legendam.

De aliis epistolis.

D. Ambrosius, D. Thomas, Baronius, art. 7.

D. Ambros. D. Thomas. Baronius. Justin. Cornel.
1. Corinth. 5.
706. D. Chryl. Theodor.
707. Origenes.
art. 7. & quibus adherent Benedictus Justin. Cornelius à Lapide, quod per duas epistolas ad Corinthios aliam scripsisse ad eos, quæ est prima, & prima apud nos est secunda, & nostra secunda est tertia. Fundantur, quia Apostolus 1. Corinth. cap. 5. num. 9. ait: Scripsi vobis in epistola: ne commisceamini fornicariis. Non ait scripsi vobis in hæc epistola, vel scripsi vobis superius, sed ait scripsi vobis, ac proinde supponit aliam epistolam antecedenter à se scriptam. Deinde quia 2. Corinth. 10. num. 11. Hoc cogitet, qui hujusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, ergo supponit eis non unam epistolam, sed plures scripsisse.
E contra D. Chrysostomus, Theodoret. tenent Apostolum tantum duas epistolas, quas habemus scripsisse Corinthiis; quia illud, quod ait: Scripsi vobis in epistola ne commisceamini fornicariis. Quod bene intelligitur de verbis scriptis in illa epistola, dixerat superius in eodem capite loquens de incestuoso. Tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecerit. Et iterum: Expurgate veteris fermentum. Illud autem quod ait per epistolas, est figurata locutio, plures ponitur, pro una. Utraque sententia satis probabilis: in hanc secundam magis inclino, quia Corinthii qui in magna æstimatione habebant, quæ erant Pauli, sicut custodierunt duas epistolas, custodierunt alteram.
Fuerunt etiam aliqui, qui dixerunt Apostolum Paulum tertiam epistolam scripsisse ad Thessalonicenses; sed Origenes in sua epistola, quam teste Rufino scripsit ad amicos suos in Alexandria, appellat talem epistolam adulteram, & corruptam, fabricatam à suis inimicis.
QUÆSTIO XV.
Quare epistola D. Jacobi, Petri, Joannis, ac Jude dicuntur Canonica, seu Catholica?
SUMMARIUM.
708 Septem dicuntur epistole Canonice.
709 Quia sic Catholicum, quid Canonicum.
710 Prima sententia tenet dici Catholicas, quia non ad unam, sed ad plures mittuntur, & impugnantur, & n. 711.
712 Altera sententia colligit rationem ex septenario numero, sed mystica est.
713 Altera sententia asserit dici Canonicas, ut distinguerentur ab aliis.
714 De uno nomine dicentur.
715 Quia cum una, vel altera epistola sit ab uno Auctore, ejus subscriptio, & stylus non erat bene notus.
716 Epistola licet breves multis mysteriis abundant.
717 Ex dignitate Scriptoris Scriptura non habet primum locum.
718 Ratione temporis attenditur antecedentia.
708. Post epistolas Divi Pauli septem sequuntur epistolæ, una Divi Jacobi, duæ Divi Petri, tres D. Joannis Evangelistæ, una Judæ Sylveira Opuscula.

Thadæi Apostoli. Quæ epistolæ communiter à Sanctis Patribus, D. Hieronymo. Prefat. in epistolas Pauli D. Athanas. in Synopsi Epiphanius hæres. 19. Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 26. D. Augustino epistol. 170. ad Severin. Theodoret. Oecumenio, & alii dicuntur Canonice, seu Catholice. Tamen in nostra vulgata solum epistolæ Jacobi, & Judæ habent præfixum nomen Canonice; hujus epitheti rationem quarimus.
Omnes hæ septem epistolæ sunt Canonice, & in Canone Apostolorum de fide tenendæ, ut definitum est in Concilio Laodicensi, Carthag. 3. cap. 47. Florentino, ac Tridentino sessione 6. advertendum deinde, quod Catholicam deducitur à nomine Græco, quod significat totum commune ac universale, seu quod per omnia velatur, hinc Medici pharmacum Catholicum appellant medicamentum, quod inservit ad omnes homines evacuandos. Ita Quintilianus lib. 2. cap. 14. Inde nostra fides Christiana, & ejus Sancta Ecclesia dicitur Catholica, quia ipsa est universalis, omnium gentium, locorum ac temporum, in quo maxime distinguitur à Synagoga antiqua, ac ejus lege, quæ tantum erat pro uno populo Hebraico, pro uno loco sacrificandi in templo, & pro determinato tempore usque ad adventum Christi, in quo est soluta, & abolita. Ita D. August. citatus, & in epistola contra epistolam fundamenti, c. 4. & in Psal. 65. Jubilatio Deo omnis terra. D. Hilari. ad Constant. Imperatorem. Beda in c. 6. Cant. Sanct. Pacianus epistol. 1. ad Simpron. & latè Vincent. Lirinensis in auro Opusculo contra prophetas hæresum novitates. Canonicum, seu Canon dicitur quod fidelibus tradit Apostolicam normam, seu regulam rectè credendi, vivendi, ac agendi in minoribus actionibus. Ad quæstionem.
Respondent. Primò Oecumenius, D. Isidorus lib. Etymolog. Leontius de Sect. Aët. 2. Euthymius, & frequenter omnes recentiores. Justinian. Cornelius, Etlus, qui Catholicarum his epistolis nomen affixum putant, quia non ad unam gentem, vel provinciam, vel Paulinæ, sed generaliter ad omnes gentes destinantur.
Hæc solutio nunquam mihi potuit placere, nec in illa quiescit animus: Nam Paulus licet scriberet Romanis; Gallis, tamen doctrina data erat pro omnibus; sic scribens Corinthiis. 1. cap. 1. num. 2. ait se loqui Corinthiis Et cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro, & 2. Corinth. 11. ait: Instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Deinde epistola secunda Joannis missa est ad Eleatham primariam sarnineam. Tertia epistola ad Caium virum insignem. Et Epistola Jacobi Apostoli, ut constans est omnium Doctorum sententia, ut patet ex quæstione sequenti missa est ad Hebræos conversos ad fidem, sicut epistolæ Pauli erant scriptæ ad Romanos, vel Corinthios.
Ductor Pais in cap. 2. Proem. epistola Divi Jacobi, & nonnulli alii volunt dici Catholicas, quia septem sunt, & septenario numero complentur, septenarius autem numerus omnem universitatem importat, ac proinde hæc septem